

motheo cœlesti benedictione commendatum, & augmentum gratiæ & donorum, quibus ante illam inaugurationem Timotheus fuit præditus, ut statuit *Dn. D. Ægid. Hunnius in comment. ad epist. 1. Timoth. 1. v. 18. pag. 51. sqq.* Ideoque Paulus *2. Timoth. 1. v. 6.* vult, ut illud voveat, & sospitam suscitaret vivam flammam a Spiritu Sancto in corde accensam, latentem sub cineribus & favilla, quæ caro & satan suffocare conantur variis modis. Ad hoc χάρισμα venit etiam illud, quod *1. Cor. XII. v. 28.* Apostolis concessum fuit, quod etiam in primitiva Apostolicæ proxima ecclesia viguisse probat *D. Gerbard. Tom. 6. art. de ministr. eccles. cap. 5. sect. poster. §. 230.* Hoc charisma fuit etiam in nostram ordinationem. *Matth. XXIX. v. 20. Ephes. IV. v. 10. 11.* quando minister mittitur instinctu interno ardenti. *Marc. I. v. 12. Luc. IV. v. 1. Matth. IV. v. 1.* His annumeramus animosum & heroicum Zelum, ardua pietatis negotia aggrediendi & perficiendi, quale donum in Mose & aliis sanctis cernimus. *Exod. XXXII. v. 19. 20. Num. XXXII. v. 7. 8. Job. VII. v. 24.*

§. XI.

Partim erat præclarum illud donum Spiritus S. quo ad tractandas Scripturas instructus erat; erant quoque necessaria incrementa, quæ cœperunt in eo, cum per ordinationem Apostolicam sacris initiaretur a Senioribus Ecclesiæ, ut statuit *D. Balduin. comment. 1. Timoth. IV. p. 288. 291.* Tale enim donum fuit, quo ea, quæ ad ministerium pertinent, recte fideliter & utiliter præstare & exequi possint, qui legitime vocati *Matth. X, 19. XXVIII. v. 20. Luc. XXI. v. 15. Jo. XX. v. 22.* Uti habet *Dn. D. Chemnit. Exam. Conc. Trid. cap. III. pag. 265.* Multum vero facit ad χάρισμα excitandum δύναμις & ικανότης ad docendum alios *2. Timoth. II. v. 2.* quando scil. eruditio conjuncta cum pietate & reliquis boni pastoris

storis